

17.  
SUMMO ADJUVANTE NUMINE.

DISSERTATIONEM ACADEMICAM,

DE

**CERTITUDINE  
MORALI,**

*Consensu Ampliff. Facult. Philosoph. in Regia ad  
Auram Academia;*

PRÆSIDE

**MARTINO JOHANNE  
WALLENIO,**

Matheos PROFESS. REG. & ORD.

*Publico bonorum examini submittit*

**SAMUEL NICOLAUS HEURLIN,**  
*WIBURGENSIS,*

**DIE XVI. DECEMB. ANNI MDCCLXII.**

**IN AUDITORIO MAJORI**

**H. A. M. S.**

---

*A B O Æ,*

**Impressit JOH. CHRISTOPH. FRENCKELL.**

A MONSIEUR  
MONSIEUR PIERRE  
ABRAHAM  
VOLTEMAT,  
MAJOR à l'Infanterie de Savolax.

**P**ardonnez moi, Monsieur, que j'ai osé Vous dé-  
dier cet ouvrage impoli, pour l' orner de Votre  
très noble nom. En considerant les marques d'une  
grace inestimable, dont il Vous a plu m' honorer, je  
me sens Vous être infiniment obligé. Ce n'est pas d'  
aujourd' hui, que Vous venez de me combler de Vos  
bontés : j' en ai gouté les plus riches fruits, il y a  
deja



deja longtems. De plus l'absence & l'eloignement  
ne Vous ont pas fait oublier Votre serviteur ; mais  
au contraire Votre liberalité s' est plutot augmenté  
envers moi, & m' a encouragé à étudier. Ce sont  
les bienfaits, que je reconnois, etant incapable de les  
recompenser. Recevez donc favorablement, Monsieur,  
je Vous prie, ce peu de lignes, par les quelles j' ai  
l' honneur de Vous presenter tous les remercimens  
qu' un coeur reconnoissant peut produire, & soyez per-  
suadé que je ne manquerai jamais d' adresser des voeux  
ardens au ciel pour Votre prosperité continuelle. Je  
serai toute ma vie avec un profond respêt,

MONSIEUR,

VOTRE

NOMINIS TUI

très humble & très obeiſſant  
serviteur

SAM. N. HEURLIN.

SAM. N. HEURLIN.

VIRO *Amplissimo atque Experientissimo*  
**D. N. MAGNO LINDER,**

In Finlandia rei Metallicae PRAEFECTO,

PATRONO PROPENSISSIMO,

Quovis honore prosequendo.

**N**unc tandem se obtulit exoptatus ille dies, quo publice meam erga Te mentem venerabundam declarare licet. Beneficia, quibus me per plures annos amplecti solitus es, ut multa ita & magna, imo paterna fuere, scilicet ab animo ad salutem meam promovendam propensissimo profecta. Horum memor, quae ulterioris etiam benevolentiae spem mihi faciunt, grates Tibi humillimas ago, habeo & habebo dum vixero, at relaturum me unquam, affirmare non praesumo. Accipe igitur, humillimus rogo, generosa fronte levidentem hoc munusculum, ut grati animi documentum. Caeterum pro Tua Tuorumque incolumitate non desistam pectore atque ore vota nuncupare, ad ultimum vitae halitum perseveraturus

NOMINIS TUI

cultor observantissimus;  
assiduus

SAM. N. HEURLIN.



KONGL. MAJ:TS  
TRO-TJENARE, CAMERERAREN  
Uti Dets och Rikfens Högloflige Åbo-Hof-Rätt,  
ÄDEL och HÖGAKTAD

HERR NILS ITHIMÆUS,

MIN HÖGTÅRADE COUSIN.

**N**u runnit up en dag, på hvilken jag får prisa  
Er ynneft, Herr Cousin, och många ömhets prof;  
Tilllåten at jag må för allmänheten visa,  
Hur högt jag är förbunden Er til tjenst och lof,  
Fast jag ej hinner at det ämnet så utföra,  
Som jag båd' skyldig är och villig til at göra.

Tag därför' gunstigt up en ganska liten gåfva,  
Ett ringa pappers-kram, som nu tilräckes Er;  
Af tacksamf sinne jag ej bättre prof kan låfva,  
Så länge jag mig än så oförmögen ser,  
Dock skall det bli min frögd, om Himlen vil förläna  
Förmåga, at på verkligt fatt Er kunna tjena.

GUD gifve Er alt godt, ja mer, än jag kan önska!  
Och låte Eder här få räkna många år.  
Er fällhet låte Han beständigt blomstras, grönska,  
Så här, som där fullkomlig glädie förestår.  
Då fylles önskan min, som aldrig lærer tryta  
Så länge blodet kan i mina ådror flyta.

MIN HÖGTÅRADE COUSINS

ödmjukè tjenare  
SAM. N. HEURLIN.

Enke = Fru Capitainkan  
Adla och Dygd = Jörnåma

Fru **CHRISTINA**  
**HEURLIN,**  
Född **SÖDERMARK.**

Min Hulda Moder.

**A**t barn wid alla tilfällen böra finnas redebogne at bemöta  
sina Föräldrar med wördnad och erkänsla, är en sak,  
som af alla förnuftiga tages i noga agt. Hos mig up-  
wäckes en innerlig sägnad, då den dagen uprunnit, på hwilken jag  
offenteligen får afsläppa mitt wördsamma tackkänslor för Eder mig  
bewista ömhet. Eder Huldhet emot mig har i sanning varit stö-  
re, än den af mig kan uttalas. I, min Hulda Moder, hafwer  
ej uti det ringaste, alt sedan jag i min späda barndom, wid den  
beklageliga Willmanstrandiska action, igenom fiendens grymma  
händer miste en kär Fader, undandragit Eder at upfylla denna af-  
saken och bispringa mig uti hwad hållt Eder förmåga medgif-  
wit samt mina nödtorfter fördrat. Hwad skall då håremot wara  
min Fyldighet? om icke at hyla och bewisa ett wördnadsfullt och  
tacksamt sinne, hwaraf jag til et prof min Hulda Moder upoffrar  
detta mitt Academiska Lärospän, angående den Naturliga Lä-  
gens Wisshet. Den Högste förlänge Edra Dagar, göre Eder  
lesnad säll, samt bekröne Eder med all andelig och lekamlig Nåd.  
Då upfylles min hjärteliga önskan, hwarmed jag ouphörligen  
framhårdar at lesna

Min Hulda Moders





D. D.

## PROOEMIUM.



**F**usus; quem præstat *Doctrina Morum* in dirigendis actionibus nostris liberis ad felicitatem nostram promovendam, adeo insignis est, ut vix satis laudari queat. Sane non video, quomodo absque iis præceptis, quæ ipsi naturæ nostræ insita sunt, genus humanum constare, & actiones nostræ, nisi ad hujus legis præscriptum componantur, in felicitatem nostram vergerè possent. Tanto itaque magis interest, has vivendi regulas ambiguas non haberi, earumque auctoritatem & fidem suspectam non reddi; eò etiam magis dolendum, non defuisse eos, qui vel omnia morum præcepta omnino arbitraria esse & institutis humanis adscribenda, vel veræ demonstrationis

non capacia; ideoque nullam in moralibus dari certitudinem, saltem non eam, quæ Mathematicæ sit æquiparanda, opinati sunt. Quid hac in re pronuncian- dum sit, specimine hoc Academico breviter exponere conabimur, quamvis lubentissime agnosca- mus, dignam materiæ hujus tractationem vires no- stras superare. Quidquid sit, mitiori bonorum judi- cio eam submittimus. Tu, *Lector humanissime*, pro candore Tuo, nostrum hocce studium ut dextre in- terpretari velis, & eo inspicias oculo, quo a me conceptum est animo, etiam atque etiam abs Te pe- to & contendo.

MUINIUM  
§. I.

**Q**uæstio: *An Disciplinis Moralibus certitudo conceden- da, an vero deroganda sit?* cum sat magnæ sit laticudinis, si singula, quæ huc referri possunt, essent explicanda: mox in ipso limine indicasse ju- vabit, nobis quæstionem non fore de *Regulis pru- dentie*, suas aliorumque actiones moderandi, nec de *præceptis Fidei*, ad voluntatis, vitæ & morum e- mendationem spectantibus; neque enim præcipue de horum vel illarum certitudine, puto, dissensus & controversiæ inter philosophos extitere; præterea vero, vel sola rei prolixitate, a materia tantæ am- plitudinis tractanda prohibemur. Non igitur extra *Jurisprudentiæ Naturalis* terminos vagabimur. Quo- circa porro observamus, neque de eo disquirendum jam esse, an in hac scientia nihil occurrat incerti &



ambigui? an nihil, quod rationibus tantum probabilibus adstruere valeamus? an nulli heic adsint nodi solutu difficiles? an nulla moveri possit quaestio, de qua in utramque partem disputari queat? id enim vix de ullo disciplinarum genere affirmare licet. Sed id nobis agendum erit, ut paucis ostendamus: *dari legis naturalis precepta, eaque sat multa, cum in se certa ac definita, tum lumine rationis certò cognoscibilia, utque negantium vel dissentientium argumenta refellamus.*

§. II.

Ut rebus omnibus determinata competit veritas, ita certitudinis & incertitudinis notiones respectum involvunt ad cognitionem subjecti intelligentis. *Certum* videlicet id dicitur, quod verum esse, ex ratione perspicitur sufficienti, seu ad plenam convictionem gignendam apta. Enimvero quia fieri potest, fitque persæpe, ut quod huic vel illi certum est, aliis incertum videatur; atque in dijudicanda ipsarum scientiarum certitudine, ad diversam illam in diversis subjectis cognitionis mensuram attendere nihil juvat: certa habenda erit propositio omnis, quæ vel per se, intellectis modo recte terminis eam ingredientibus, manifesta est, vel ex principiis indubitatis legitima consequentia deduci potest.

§. III.

*Certitudo proprie sic dicta*, quamvis gradus non admittat (§. II.); nihil tamen impedit, quominus,

si placuerit, plura ejus quasi genera concipiantur, pro diverso vel gradu evidentia, vel indole objecti & principiorum cognoscendi, vel habitudine ratiociniorum. Scilicet abstrusissimæ etiam veritates, dum modo recte sint demonstratæ, non minus certæ sunt, quam ipsissima axiomata; hæc tamen illas evidentia longissime superare, negabit facile nemo, atque ut a primis principiis propius vel remotius distat propositio aliqua, ita certitudo ejus magis vel minus est manifesta. Præterea ipsa principia, ideoque & veritates ex iis demonstratæ, alia atque alia gaudent evidentia ac certitudinis indole, prout illa vel innata quasi menti sunt, vel experientia & sensu, vel auctoritate & testimonio alieno innotescunt. Facit huc ipsa natura objectorum, circa quæ versatur cognitio nostra, vel sensus & imaginationem adficiendum, vel intellectu puro concipiendorum. Quominus autem diversa hoc sensu certitudinis genera, gradu tamen æquipollere censeri queant, ita ut alterum altero non inferius sit habendum, nihil ob stare videtur. Sic *ex. gr.* non minus certum est & demonstrabile, mundum esse creatum, quam bilineum rectilineum esse impossibile, aut superficiem sphaeræ æqualem superficiem convexæ cylindri circumscripti. Esto igitur, demonstrationes in moralibus a mathematicis multum differre: parum refert, modo illæ ita adornari possint, ut *plenam* pariant *certitudinem*, ad quam vindicandam sequentes adstruendæ videntur propositiones.





§. IV. *Vult DEUS, homines actionibus hujus vel illius generis operam dare, contrarias fugere.* & Haber (ut per experientiam constat) homo facultatem, & quidem (per princ. Theol. Nat.) non nisi a DEO, suo rerumque omnium conditore, acceptam, cognoscendi summas Ipsius perfectiones, opera magnifica, omnimodam suam ab eo dependentiam, dona & beneficia innumera ab Ipso in se collata. Quare cum (Theol. Nat.) DEUS nihil frustra faciat: præterea (per princ. Psychol.) actiones hominis liberæ, internæ, externæ, ex motivis suscipiantur, quarum aliæ perfectionibus Divinis conveniunt, aliæ repugnant, scilicet, ad alias suscipiendas attributorum operumque Divinorum consideratio nos movet, ab aliis avocat (per Theol. Nat. & exper.); Ipse autem non possit non (Theol. nat.) velle, quod perfectionibus suis convenit, averfari, quod repugnat: sequitur (vid. sis Cel. N. Wallerii *Prænot. Theol. p. III. c. I. §§. 1. 3. 4. B*) velle DEUM, ut homo Ipsum, ceu Ens perfectissimum, creatorem, conservatorem, benefactorem, suamque ab Eo dependentiam & factis internis, externis, venerabundus & gratus agnoscat, profiteatur; indeque actionum suarum motiva desumat; hæc agat, contraria omittat, verbo: DEUM colat.

*Porro: quia homo mente & corpore instructus est, variisque ornatus cum animi, tum corporis viribus*

& facultatibus: DEUS, qui humanam naturam talem constituit, pro sapientia sua & bonitate velit, necesse est, dona ista non torpescere, corrumpi aut destrui, sed conservari & excoli; quod ulterius inde patet, quia tenerrimum homini indidit & inseparabile studium sese conservandi & felicitatis suæ promovendæ desiderium, præterea adminicula etiam externa huc necessaria & conducibilia suppeditavit, res scilicet, tum animatas, tum inanimatas, in medio posuit, earum universitate sic adornata & disposita, ut ad intentum illum finem obtinendum conspirent. Qui autem sapiens finem vult, non potest non etiam media velle. Vult itaque DEUS, ut homo facultatum suarum naturalium usu & cultura, suæ ipsius conservationi & felicitati studeat, rebusque externis, pro cujuslibet indole & aptitudine, huic fini convenienter utatur.

*Denique:* cum (per demonstr.) DEUS singulorum hominum conservationem ac felicitatem velit, vult etiam ut singuli non solum non suæ ipsorum, sed nec aliorum conservationi ac perfectioni obicem ponant, quin & ad eam, quantum in ipsis est, conferant. Idem sic probatur: Vult DEUS (per demonstr.), singulos suæ ipsorum felicitati prospicere; at vero ad hoc efficiendum, mutua ope indigent homines, & qui suæ saluti consultum cupit, eum ab aliis laceffendis abstinere oportet, & ex adverso, illis inserviando, eorum in se officia provocare. Ergo &c.

*Et generatim:* Docent singularum rerum creaturam natura & constitutio, relatio cum ad DEUM, tum



tum ad se invicem, mutuus nexus, usus, quem altera alteri præstat: hæc, inquam, omnia docent, quod certos fines, eas sic aptando, intenderit totius naturæ & universitatis rerum Auctor, qui, utpote sapientissimus, nihil frustra aut temere agit, atque velit, necesse est, quidquid ad fines istos obtinendos facit; nolit, quidquid iisdem repugnat. His autem finibus vel congruæ vel dissonæ esse possunt actiones hominum liberæ. Eum itaque illas velle, *has* nolle, certissimum est.

*Definitio.* Entis intelligentis actiones liberæ, si voluntati & finibus Divinis, suæ ipsius perfectioni, & ipsi naturæ tum agentis, tum aliarum rerum, conformes fuerint: *moraliter bonæ*; sin contrariæ: *moraliter malæ* audiunt. Dicta autem hæc criteria sibi invicem non opponuntur, sed primum nominato, voluntati scilicet Divinæ, subordinantur. Porro in allata definitione tacite supponendum est, ens illud agens obligari ad actiones suas secundum voluntatem Divinam componendas. *confr. §. seq.*

§. V.

DEO competit ius, hominibus præscribendi, quæ agere & non agere debeant, seu obligantur hi ad actiones suas secundum Eius voluntatem, ipsis cognoscibilem, instituendas. Hanc propositionem in dubium vocabit nemo, & ne illi quidem negare sustinent, qui præcedentem (§. IV.) inficiantur, non curari a DEO facta hominum, statuentes. Fluit autem præfens hæc ex indicata jam supra (§. cit.) omnimoda ho-

hominis a DEO dependentia. A Cujus enim voluntate homo, & quâ existentiam & existentia continuationem, naturæ suæ constitutionem essentialem, vires atque facultates naturales, totus pendet: ad Ejus quoque nutum, harum exercitium & modificationes conformari omnino debent. Accedit, quod aliis præterea beneficiis innumeris & continuis omnes ac singulos sibi obstrictissimos reddat, non solum felicitatem eorum promotam velit, sed &, quid ipsis proficuum sit aut noxium, optime sciat; denique præmia certissima dispensare pœnasque gravissimas infligere valeat. Ex quibus omnibus necessario sequitur: DEO O. M. ut in res creatas omnes, sic & in homines, dominium & imperium illimitatum competere.

§. VI.

*Potest rationis ope homo certo judicare, DEUM velle, hæc agat, illa omittat homo.* Habet enim (ut irrefragabilis testatur experientia,) facultatem tum perfectiones Divinas, tum suam ipsius rerumque aliarum, cum quibus propior ipsi intercedit nexus, naturam hæctenus cognoscendi, ut sæpissime liquido discernere valeat, hæc vel illas actiones suas attributis finibusque Divinis, suæ ipsius aliorumque perfectioni convenire, alias adversari, consequenter (§. IV) DEUM illas suscipi, hæc omitti velle.

§. VII.

*Datur itaque Lex Naturalis, præcepta continens, ratione certo cognoscibilia.* Voluntas scilicet Divina (§. IV.)



(§. IV.) perfectam habens obligandi vim (§. V.), ipsa rerum naturâ manifestata & ratione certò cognoscibilis (§. VI.) Legem hanc absolvit, quæ proinde, positis essentia & attributis Divinis, (hæc autem necessaria sunt & immutabilia) nec non vel sola hominis essentiâ, consequenter etiã ejus ad DEum relatione, vel insuper hæc rerum natura, hoc ordine, necessario ponitur. Et sunt utique ejus præcepta, inprimis generaliora, adeo omnium mentibus insita & penitus infixata, ut, instar axiomatum, per se manifesta esse & quasi absque prævia ratiocinatione innotescere videantur. Saltem quisque sui conscius & ad nexum rerum, rationis & conscientiæ dictamen attendens, non potest non judicare, has illasve actiones suas vel bonas esse vel malas, ita ut illæ perfectionem & animi tranquillitatem, hæc vero imperfectionem & gravissimos mentis cruciatus pariant. Hanc conscientiæ vim, hæc dictamina & testimonia, ipsi gentiles saniores agnoverunt; Sic Cicero pro Roscio lib. I. de finibus: *Impii pœnas luunt, non tam judicis, quam angore conscientiæ, fraudisque cruciatu*; & Menander: *mortalibus omnibus conscientia DEUS*. Imprimis autem thesin nostram expresse urget Apostolus Rom. II: 14, 15.

§. VIII.

Paucis jam eos tangere lubet, qui *morum doctrinæ certitudinem* denegarunt. Opinio hæc Aristoteli a quibusdam tribui solet (vid. inprimis *Walchii Exercitatio de Atheismo Aristotelis Cap. IV. Sect. 1 §. 3.*

quæ exstant in *Walchii Parergis Academicis* p. 325.) quia *Ethic. ad Nichomachum* lib. I. c. 3. dixit: τὰ δὲ καλὰ ἔχει διαφορὰν καὶ πλείων ὥστε δοκεῖν νόμῳ εἶναι μόνον, φῶσκει δὲ μὴ, i. e. *honesta autem & justa, de quibus civilis disciplina considerat, tantam differentiam, tantumque errorem in se habent, ut lege, non natura, esse videantur.* Recte ne, an secus, hic error Aristoteli tribuatur, non definimus. Certe (*cit. Eth. lib. V. C. 7.*) contrarium statuit, scil. dari φυσικὸν δικαίον, ἃ πανταχῶς τὴν αὐτὴν ἔχον δύναμιν, καὶ ἃ τῷ δοκεῖν ἢ μὴ, i. e. *Justum naturale, quod ubique gentium eandem vim habeat, non quod ita videatur, vel non.* Nonnulli tamen eum jus naturale omnino negasse, quin & Atheum fuisse, contendunt.

Inter recentiores Philosophos Grotius, de Jurisprudentia Naturali cæteroquin præclare meritus, hac quidem ex parte scientiæ hujus dignitati detrahit. Sic enim (de J. B. & P. Lib. II. cap. XXIII. §. I.) pronunciat: *Verissimum est, in moralibus non æque, ut in Mathematicis Disciplinis, certitudinem inveniri, &c.* Atque ex eodem hoc cum Aristotelicorum, tum aliorum, non solum antiquiorum, sed & recentiorum quorundam præjudicio, ortum traxit sat vulgo recepta illa certitudinis moralis notio, qua non proprie dictam seu apodictam certitudinem, sed magnum duntaxat probabilitatis gradum, denotare solet.



Per se patet, omnes illos huc pertinere; qui nullam aliam actionum honestatem aut turpitudinem admittendo, quam quæ legibus humanis, arbitrio & consuetudine fiat, jus naturale prorsus tollunt; ut, præter Hobbesium, Lambertum, Welthusium, tota facit Atheorum ac Scepticorum turba.

§. IX.

Quæ adversus apodicticam certitudinem in moralibus moventur argumenta, exigui sunt ponderis, & huc fere redeunt:

*Imo: Demonstrationem non posse fieri, nisi de subiecto necessario; Philosophiam autem moralem considerare actiones, quæ contingentes sunt & in arbitrio humano posite.* At fallit omnino propositio major, quippe ex qua sequeretur, nullas, præterquam in Theologia, quatenus hæc de Ente unice necessario agit, dari veri nominis demonstrationes. Nam ne extensa quidem Mathematica, in quantum existere ponuntur, necessario existant. Nec Metaphysica de Entibus finitis, compositis, simplicibus, demonstrationes tradere posset. Observandum itaque est, pendere demonstrationem a notione ipsa subiecti, non autem a supposita ejus existentia, vel necessaria vel contingente. Possunt scil. enti, vel omnino non, vel non nisi contingenter existenti, certæ tamen affectiones competere, hoc sensu, ut ex ipsa ejus essentia seu notione necessario sequantur & demonstrari queant; posita vero demum ejus existentia, actu adsint & non possint non adesse.

*2do: Moralitatem actionis, varietate circumstantiarum ita variari & modificari, ut de ejus honestate vel turpitudine certo judicari nequeat.* Ad hoc respondemus: Circumstantias illas eo ipso essentiam & notionem subjecti, actionis scilicet, examinandæ ingredi, atque moralitatem ejus, & necessario quidem, determinare, certo itaque demonstrabilem, dummodo illæ singulæ satis perspectæ & æstimatæ fuerint. Non urgeo, quin in moralibus applicatio regularum generalium ad praxin, ad casus speciales, vel actiones in concreto spectatas, sæpe difficilis sit & ambigua; sed simul moneo, distinguendum esse inter veritates ipsas & earum applicationem; licet enim regulæ certæ sint, in ipsa tamen praxi error obripere potest, quod ipsum etiam operationibus & constructionibus Mathematicis, ad praxin deducendis, contingere salva scientiæ certitudine, notissimum est. Alia est principiorum, alia conclusionum ratio. Autumo: licet propositio major universalis, quam exhibet Lex Naturalis, sit vera; nihilo tamen minus, si, quæ pro varietate casus specialis subsumentur, minor fuerit erronea, conclusio quoque syllogismi evadet falsa. Error autem tunc non legi, sed ejus applicationi est tribuendus.

*3tio: Neque dissensus Moralistarum de communi aliquo & adequato Juris Nat. principio constituendo, scientiam hanc incertitudinis arguit.* Neque enim ad solidam scientiam hoc requiritur, ut omnes ejus propositiones ad unicum aliquod principium com-



commune revocentur & ex eo deducantur. Neque, si plura dantur ejusmodi principia fundamentalia, quorum singula dictum illum præstare possent usum, id certitudini ipsius scientiæ quicquam officit. Quis nescit, diversa unius ejusdemque disciplinæ certissimæ, solidissima condi posse systemata? cuius rei vix frequentiora, quam in ipsa Mathesi, possunt dari exempla. Scientia ipsa, objective spectata, eadem semper esse & manere potest, certa, evidens, nullique dubitationi obnoxia, etiamsi diversus sit tractationis ordo & modus.

§. X.

Ex iis, quæ dixi, *concludo*, cum Pufendorffio, dum argumenta tam Aristotelis quam Grotii refutat in libro suo *de jure natura & gentium Lib. I. Cap. 2. §. 4*: Illa disciplina, quæ considerat, quid in actionibus humanis sit rectum & pravum, omnino ejusmodi fundamentis nititur, ut exinde genuinæ demonstrationes, quæ solidam scientiam sint aptæ parere, deduci queant; adeoque ejusdem decreta ex certis principiis ita derivari possunt, ut dubitationi non locus amplius supersit.

SOLI DEO GLORIA!



PRÆCEPTORI SUO  
DILECTISSIMO, SVAVISSIMO.

**I**ngratissimi animi notam mihi merito inurendam judicarem, si hanc occasionem lætus non arriperem, publice testandi, & quantum Tibi debeam, & quam exoptatus mihi sit hic dies, qui honores Tua virtute & eruditione dignissimos, Tibi accelerabit. Arripio inquam hanc oportunitatem avide, & quidem ita, ut non tantum nunc profitear, & agnoscam, Te post DEUM & Parentes, prima felicitatis meæ fundamenta jecisse, sed etiam gratuler Tibi ex imo pectore, quæ jam reportabis doctrinæ & industriæ præmia. Votis denique pro Tuo flore, rerumque omnium prospero successu, quæ & ipse fundis, ego mea h. c. calidissima adjungo, & nullo non tempore adjungam.

Tui amantissimus

ADOLPHUS JOH. LINDER.

---

INFORMATORI SUO  
FIDELISSIMO atque EXOPTATISSIMO.

**Q**uid mirum; quod ego etiam Præceptorem Indulgentissimum, indefesso labore, ut animus meus liberalibus artibus imbueretur, per plures jam annos perfunctum, & propediem pro CERTITUDINE MORALI serio accurateque in Musarum palestra propugnaturum, assidua gratulatione ad parnasium comiter? Pugna itaque felix & victoriæ præmium pulchre Tibi vindica! Opto

Tuus ex asse

MAGNUS M. LINDER.